

*SI.* quid Davo' narrat? *DA.* aequa quicquam nunc quidem.  
435 *SI.* nilne? hem. *DA.* nil prorsus. *SI.* atqui exspectabam  
quidem.

*DA.* praeter spem evenit, sentio: hoc male habet virum. 5  
*SI.* potin es mihi verum dicerē? *DA.* nil facilius.  
*SI.* nūm īlli molestae quidpiam haec sunt nuptiae  
propter hūiusce hospitai consuetudinem?  
440 *DA.* nil hercle; aut, si adeo, biduist aut tridui  
haec sollicitudo: nosti? deinde desinet. 10  
etenim ipsu' secum eam rem reputavit via.  
*SI.* laudo. *DA.* dum licitumst ei dumque aetas tulit,  
amavit; tum id clam: cavit ne umquam infamiae  
445 ea res sibi esset, ut virum fortē decet.  
nunc uxore opus est: animum ad uxorem adpulit. 15  
*SI.* subtristi' visus est esse aliquantum mihi.  
*DA.* nil propter hanc rem, sed ēst quod suscenset tibi.  
*SI.* quidnamst? *DA.* puerilest. *SI.* quid id est? *DA.*  
nil. *SI.* quin dic, quid est?  
450 *DA.* āit nimium parce facere sumptum. *SI.* mene? *DA.* te.  
"vix" inquit "drachumis est opsonatum decem: 20  
non filio videtur uxorem dare.  
quem" inquit "vocabo ad cenam mēorum aequalium  
potissimum nunc?" et, quod dicendum hic siet,  
455 tu quoque perparce nimium: non laudo. *SI.* tace.  
*DA.* commovi. *SI.* ego istaec recte ut fiant videro. 25  
quidnam hoc est rei? quid hīc volt veterator sibi?  
nam si hic malist quicquam, ēm īllīc est huic rēi caput.